



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 35. Andreae Auriæ Viri celeberrimi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

§. XXXV.

*Andreas Auria Viri celeberrimi  
obitus.*

*Sigon. l. c.  
Tau. l. c.*

**H**ic idem, cujus nunc mentionem fecimus, Joannes Andreas Auria Nepos erat alterius Andree Aurie, qui inter celeberrimos decimi sexti sæculi Architalassos merito recensendus venit, cum vero ob ætatem decrepitam Africanæ hujus expeditionis labores haud amplius subire posset, hanc curam suo commisit Nepoti, qui tum in Sicilia agebat: porro ipsemet Andreas nonagesimo quarto ætatis anno, Christi autem millesimo quingentesimo sexagesimo die vigesima quinta Novembris in magnifico Palatio, quod sibi in quodam Genuensi suburbio exstrui curabat, vivis ereptus est. Claruit raris omnino, atque heroicis virtutibus, ac Dei cultum toto studio promovens insuper patriæ suæ salutem in præcipuis curis habuit, ac libertate ei procurata Reipublicæ administrationem ita disposuit, ut Nobiles quoque ad supremi Magistratus dignitatem, a qua antea exclusi fuerant, admitterentur, ac nobilium auctoritas depressis plebæis familiis plurimum augetur: cum autem nullos posteros relinqueret, omnem suæ auctoritatis spem in Joanne Andrea Janetini



tini filio reposuit, eique Turfinam urbem ære alieno maxime gravatam reliquit. Postea, Joannes Andreas sexto post Patru sui obitum die Genuam venit, & statim post reditum suum Genuenses, qui defuncti Aurixæ cadaver sine ulla funeris pompa noctu interea sepulturæ dederant, eo inclinabat, ut amplissimis in majori Urbis templo exequiis magna pompa celebratis, civi de Republica optime merito, hoc saltem insigni animi grati testimonio parentarent.

## §. XXXVI.

*Gustavi Sueciæ Regis mors.*

Eodem anno die vigesima nona Septembris Gustavus Sueciæ Rex septuagenarius Lutheri hæresi immortuus periiit. Erat is Erici Wazæ Gripsholmiæ Ducis Filius, qui Christierno II. Daniæ Rege ex Suecia, quam hic Anno millesimo quingentesimo decimo octavo subegerat, expulso hujus regni Princeps, atque administer declarabatur, & postea prope Upsalmiam Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio Rex proclamabatur, unde hoc regnum, ad quod antea electionis sorte Reges vocabantur, postea ad Gustavi familiam hæreditario jure devolutum est. Hic potius Tyrannum, quam Patrem in suo regi-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Thuan. l. 6.  
Spond. hoc  
ann. 30.  
Joan.  
Magn. hist.  
Suec. l. 24.  
Chytræus  
l. 9. & 8.